

PETRI ALBINI
NIVEMONTII
COMMENTATIO
DE
LINGVIS PEREGRINIS
ATQVE
INSVLIS IGNOTIS
EX
SCRIPTO MANV IPSIVS EXARATO
EDIDIT
M. SAMVEL CNAVTHIVS
MISENENSIS
BIBLIOTH. ACAD. VITTEMB. PRAEF
ACCEDIT
HVGONIS GROTHII
DE
ORIGINE GENTIVM
AMERICANARVM
DISSERTATIO



VITTEMBERGÆ IN SAXONIBVS
APVD IO. LVDOVICVM MEISELIVM
A. MDCCLXIII

*NOBILISSIMIS EXCELLENTISSI
MIS AMPLISSIMISQVE*

V I R I S

RVDOLPHO CHRISTIANO

VVAGENERO

ARTIS SALVTARIS DOCTORI

EXPERIENTISSIMO MATHEMATVM IN ACADE

MIA IVLIA PROFESSORI PVBLICO

LONGE MERITISSIMO

ET

IOANNI GEORGIO

ECCARDO

HISTORiarVMIBIDEM DOCTORI

PVBLICO PERCELEBRI

**PATRONIS FAVORIBVSQVE
MAXIMOPERE SVSPICIENDIS
HONORIS ET OBSERVANTIAE
CAVSA
NEC SINE
PERENNIS VOTO PROSPERITATIS**

S



P. A
DISSERTATIO
DE
DUOBUS HUIUS POSTREMI TEMPORIS
MIRACVLIS MAXIMIS
LINGVARVM
VIDELICET
PEREGRINARVM
CVLTVRA ET COGNITIONE
ATQVE
PORTENTOSA NAVIGATIONE
AD
INSVLAS IGNOTAS

O Peræ pretium me facturum, putavi, si, de *duobus maximis Miraculis huius postremi temporis, ac signis quasi indubitatis extremi diei, et status integritatis, propediem redituri, quorum duo tantum iam nominabo, Navigationem illam portentosam in Ignotas Insulas, et Linguarum Peregrinarum culturam et cognitionem, aliquid proferrem.*

Sic igitur cum aliis existimo, et maxima esse miracula signaque, si quis-

quam ita uelit , extremum diem , for-
 san paullo post ingruiturum , praecedentia , et illustria argumenta , ut quidam addunt , Christianae religionis , breui tempore in uniuersum terrarum orbem propagandae . Primum , quod uniuersus terrarum Orbis per aliquot annos nauigiis initio , deinde etiam classibus , adeo peragratus sit , ut etiam in Oceano , quacunq; ille terris amplissime circumfusus est , nulla fere ora sit , nullum littus , regio nulla aut insula denique , in quam Christiani nominis fama non penetrarit , Christiani nominis , inquam , cum haec illustria facinora non a Iudaeis , non a Turcis , aliisque gentibus , sed a Christianae professionis hominibus , suscepta et perpetrata sint . Deinde , quod notitia earum Linguarum , quae non modo Christianam nostram , uerum etiam Hebraicae gentis , religionem , diuinitus iam olim abrogatam , a principio coelestis doctrinae complexae fuerunt , Latinae Ecclesiae prouinciis prope omnibus sese mirabiliter insinuarit , atque in iis usque adeo adoleuerit , ut iam nulla , quamuis aliarum doctrinarum omnium studiis insignis alioquin , Academia omnibus suis partibus integra et expleta censeatur , nisi , praeter Latinarum , quibus maiores nostri contenti fuerunt , etiam Graecarum et Hebraicarum literarum ornamentis illustretur , nullusque hac tem-
 pesta-

pestate, etiam vulgi eruditorum sententia, uere, solide, uel saltem speciose, eruditus habeatur, qui harum Linguarum alteram non penitus addidicerit, uel saltem aliquando cognouerit. De hoc autem, cum de altero paullo plus mihi dicendum sumpserim, pauca priori loco, ne eius nudam fecisse mentionem uidear, addam.

Ac constat equidem apud omnes, Linguas et interpretationem earundem Spiritus S. donum esse, ut ex libri, qui de Actis sanctorum Christi Apostolorum nomen habet, capite non uno, et Epistola, quam diuus Paulus ad Corinthios misit, probari potest. Hunc enim, cum haberent insignes illi Dei serui, ac horum aliquot in prima Ecclesia discipuli, in luculentiore mensura, quam multi alii Ecclesiarum doctores, Linguis totius mundi uariis, ac omnibus denique, quibus uellent, locuti sunt. Vbi enim celsissimus ille animarum Hospes est, ibi nullius rei ignorantio, Linguarum cunctarum peritia, futurarum etiam rerum cognitio, ut multa passim in sacris literis exempla testantur. Id uero Linguarum donum in Ecclesia eminuit, in qua, sicut et uaticinii, et sanationum, una cum baptisate, cum Spiritu Sancto, cum manuum impositione, collatum est, durauitque, ab Apostolorum temporibus, usque ad aetatem Irenaei, qui, se uariis Linguis suo adhuc tempo-

re loquentes audiuisse, libro quinto, commemorat. Fuit autem hic auditor Polycarpi, Ioannis, Evangelistae, discipuli, Ecclesiae Smyrnenfis Episcopi, doctrina, pietate, constantia, ac zelo uero pro gloria Filii Dei, maxime illustris, de quorum utroque Eusebius scripsit. Inde uero quasi restrictio facta est doni huius ad paucos, eosque tantum, qui multo labore multaque uigiliis, Deo tamen studiis ipsorum aspirante, id acquisiuerunt, inter quos fuerunt, Origenes, a lucubrationum assiduitate Adamantii cognomen adeptus, cuius librorum sex millia se legisse, scribit, aduersus Rufinum, Hieronymus, cui, in Origene, Epiphanius astipulatur. Hic enim, ex multorum interpretationibus, quorum autores ignorantur, quaeque sub Antonio Caracalla, et sub Alexandro, Mammaeae filio, apud Ierichuntinos, et Neapolitanos Septentrionales, a quodam Origenis familiari, ex illis, qui Hierosolymis pietati uacauerant, compositae et conflatae erant, adiuncto collatoque textu Hebraeo, celebrata sua τετραπλῆ, ἑξαπλῆ τε, καὶ ὀκταπλῆ, confecit, etsi non desint, qui huic in Hebraica tantum et Graeca excellentiam tribuant. Fuerunt et inter hos illi, quos modo nominauimus, Hieronymus, et Epiphanius, πεντάγλωσσος, de quo Hieronymus. Fuerunt, Modorus, Albinus, Caroli M. praceptor, quem sane numerum

rum exiguum admodum esse, uidemus, et, praeter hos, qui fama notiores sunt, nullos, aut rarissimos, in Historia Ecclesiastica occurrere. Nam de reliquis nouimus, quod fere binarum tantum Linguarum, quae, uel religionis cultu, uel doctrinarum studiis, hoc uel illo tempore, magis enituerunt, cognitione apud homines in admiratione fuerint, quorum ad catalogum pertinent, Aquila Sinopenfis, Symmachus Samarita, sub Seuero, Theodotion Ephesius, sub Commodio, Imperatoribus, S. Lucianus, magnus et religiosus Martyr, quorum quatuor Bibliorum uersiones Graecae praecipue laudatae sunt, Paulus Eremita, et alii, qui, cum Seculo nostro multo propiores sint, hic omituntur. Ea uero de causa Linguarum studium et professio deinceps passim magis coli coepit, ut semper essent, qui doctrinas sacras et profanas ex fontibus haurire aliisque tradere possent. Graecorum sane literae, ante centum et quinquaginta annos, in Italiam, unde septingentis annis exularant, quasi postliminio reuocatae sunt per Chrysoloram, Bessarionem, Gazam, Trapezontium, Chalcondylen, Musurum, Lascarem, et alios, quos, ex Graecia profugos, quidam ex Italis, praecipue uero Medicaei, receperunt et liberaliter fouerunt. Atque hac quidem occasione ultra Alpes etiam penetrarunt illae, Basileae, in

Germania, initio , ante annos centum et amplius , traditae ab Andronico Cantoblanca, Lutetiae, in Gallia, ab Hieronymo Spartano , donec Ioannes Capnion , I. C. , triplicis Linguae culmen et trilinguis Phoenix suo tempore uocatus , una cum Graecis, etiam Hebraeam Linguam in Germania docere coepit. Cuius temporibus, in Hispania etiam, Aelius Antonius, Nebriffensis, in medijs bellis, Linguas tres, quas praecipuas et cardinales quidam uocant , restituit , quemque Iacobus Lopesius Stunica, ex equestri ordine Theologus doctissimus, qui Arabicam etiam addidit, secutus est. Neque in Italia studium id refrixit, ubi floruerunt, Ioannes Picus, Mirandulae princeps, Datyli, Hebraei , qui Taurini uixit , discipulus , et, huius obtrectator , Mithridates Romanus , Aegidius Viterbiensis, et huius etiam discipulus, Hieronymus Seripandus, Patricius Neapolitanus, Hieronymus Aleander et Frid. Fulgosus, duo Romanae sedis Senatores Archiepiscopi , Augustinus Iustinianus, Genuensis, ex Dominicano Monacho Nebiensis Episcopus , ex cuius Biblijs Octaplis Psalterium totidem Linguarum celebratissimum est, Augustinus Steuchus, Eugubinus, Hisamenensis Episcopus, Sanctes Pagninus, Lucensis, Petrus Galatinus, Minorita, qui Capnionem aduersus complices Hochstratianos defendit, et , qui hos antecesserunt ,

runt, Raymundus Martinus, Gotalanus, et Porchetus, autores Victo-
 riarum et Pugnionis. Quibus omnibus Marcellus II et Paulus III, Pontifices Romani, una cum Ptolemaeis, Senensibus Nobilibus, La-
 etantio, patre, Laelio et Aemilio, filiis, sacrarum Linguarum omnium peritia insi-
 gnibus, accensendi. Nec praetereundi in Hispania, Aelius Antonius, Academiae Salamantinae decus, et Franciscus Xime-
 nius, Cardinalis, Antistes Toletanus, ac regnorum castellae Archicancellarius, qui,
 eodem fere tempore, quo in Italia et Germania ea, quae diximus, acta sunt, Com-
 pluti praedictarum Linguarum, et omnium bonarum artium disciplinarumque,
 domicilium opulentissimum atque amplif-
 simum extruxit, sacro sanctos Codices, ut quisque uel sua scriptus, uel in aliam Lin-
 guam transfusus, quondam fuit, immani sumptu, emendari, atque speciosis typis
 exprimi, curauit. Quemadmodum et sua laus debetur Pelicano, Munstero, Fagio,
 Germanis, Guilelmo Postello, qui, cum multis annis, in Academia Parisiensi, Pro-
 fessor Linguarum et Mathematicum Regius fuisset, more ueterum Philosophorum, A-
 fricae et Asiae littora celebriora, atque Europae oras Orientales, peruagatus est,
 et id demum consecutus, ut, se, edito scripto, quindecim Linguarum gnarum
 esse, testaretur, Comiuncto, Hispano, Iu-
 daeo

daeo Christiano, qui Linguarum XV pe-
 ritiam habuit, Petro Lusitano, regibus
 Aethiopum eharissimo, qui, praeter Ara-
 bicum, Indicum et Lusitanum, sermonem,
 omnium prope hominum Linguas cognitas
 habuisse scribitur, Theodoro Bibliandro,
 Germano, qui, se, Dei O. M. gratia et do-
 no, iis Linguis, quae totum orbem terra-
 rum longe lateque possident, facultatem
 aliquam scribendi et loquendi, aut cer-
 te de iis iudicandi, consecutum esse, ipse,
 in Commentario de ratione communi om-
 nium Linguarum et, literarum, pulchre
 gloriatur. Quibus et, in hac Academia,
 non immerito accensendi sunt, magnus
 ille Lutherus, et diuinus Melanchthon,
 ὁ ζῶσά τε καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
 Casp. Cruciger, Ioan. Draconites, et alii,
 quorum memoria est apud nos in perpe-
 tua benedictione. Horum itaque omni-
 um, quos honoris causa nominavi, ope
 atque opera, in Academiis, ingeniorum
 auiditate et industria eximia, coaluit quasi
 rursus discrepantia illa Linguarum Baby-
 lonica, in primis, quae bonarum rerum
 disciplina olim floruerunt, in Gymnasia,
 tanquam Latinae Linguae colonias, in
 tota fere Europa constitutas, immigranti-
 bus, adeo, ut Palaestina, Syria, Graecia
 ipsa, domi ueterem, et sermonis, et do-
 ctrinae, gloriam nitoremque amiserint.
 Sic igitur certum est, nunquam uno ali-
 quo

quò seculo , a Christiana redemptione, tam multos in Europa Hebraearum, Chaldaearum et Graecarum , literarum peritos et intelligentes fuisse, quam multi, nostra aetate, in Germaniae, Galliae, Italiae, Hispaniae, Scholis inueniuntur. An uero non magnum hoc est , ut libenter nominauim, Miraculum? Sane utrumque, de quo partim aliquid iam dixi, partim uero dicere coepi, etsi peruulgatum iam uulgareque sit, tamen, sagacioribus etiam uiris, plus admirationis mouisse haecenus non uideatur, quam, quod eorum cogitationes in simplici rerum gestarum commemoratione tantum resederint, et adhuc residere uideantur, ad sempiternae uero diuinae . que prouidentiae seriem contemplandam minime prouectae sint, quod ipsum quoque oscitantiae nostrae genus an non Miraculi loco a nobis accipi posset?

Verum, de primo satis. De altero etiam uideamus. Iam primum omnium constat, Nauigationes esse antiquissimas, quarum etsi diuersi a diuersis Scriptoribus passim perhibeantur auctores, ut non consentiunt ea in re Diodorus, Strabo, Plinius, Eusebius, Clemens, Tertullianus, Tibullus, et si qui sunt alii, tamen dubium non est, quin, de autoritate Sacrarum Literarum et Iosephi, nauigandi et condendarum nauium usum a Noe, uel Iano, fluxisse, merito credere debeamus, ante quem mare tentatum esse, nusquam memoriae proditum est.

est. Ac, licet quidam adeo scrupulosi esse uelint, ut de Arca Noae disputent, tamen, quis non intelligit, petulantem potius, ne dicam asperius, lusum esse, quam, ut erudite dubitationis quicquam huic, ut tandem, quod res est, eloquar, cauillationi inesse possit. Quam Sacrae Literae et Iosephus arcam uocant, ex ligno constructam, ea haud dubie nihil aliud fuit, nisi nauis, ut et Berossus, Chaldaeus, teste eodem Iosepho, appellat. Sed, non teram tempus, eiusmodi ineptias uel referendo, uel confutando. Antiquitatem Navigationum ostendere aggrediebar. Hic uero immensum sese offerret pelagus, si in id descendere liberet. Nota sunt, quae de Nautilo, Ozene, ex Polyporum, et Neritide, ex Pectinum, genere, scribant Historiae naturalis auctores, atque, ut, ex illis Navigationis rationem petitam esse, uelint. Vetusstae autem sunt Navigationes, ut tantum summa rerum uestigia libem, Minois, Neptuni, Atlantis et Danai, testibus Strabone, Diodoro, Clemente, Plinio, et adeo quidem uetusstae, ut tunc fabulae inde natae sint et prouerbia, tum denominationes locorum durabiles. Vetusstae sunt inuenta Aeoli, Daedali, Eupolemii, Anacharididis, Iasonis, Amoclis Corinthii, Nefichthonis Sallimini, Xenagorae Syracusani, Nefichthonis, Alexandri Magni, Ptolemaei Soteris, Demetrii, Antigoni.

ni, Philopatoris, Hippü Tyrii, et aliorum. Accensentur uetustis nautis non immerito Myli, Troiani, Samothraces, Tyrii, de quibus Strabo scribit, et Tibullus sic canit,

Prima ratem uentis credere docta, Tyros.

Addendi etiam sunt Aegyptii, Phoenices, Erythraei, Cyrenenses, Rhodii, Cyprii, Athenienses, Carthaginenses, Thasii Tyrreni. Verum, de iis omnibus nunc nihil dicere institutum nobis est. Celeberrimae in primis fuerunt Nauigationes nautarum Salomonis, Regis, de quibus paullo post sermo repetendus erit, Nearchi Macedonis, Iamboldi, mercatoris Graeci, Hannonis Carthaginensis, omnes in mari Indico et Atlantico, classis item, quae emissa est a diuo Augusto, in Septentrionali Oceano. Sed, hae commercii nostrorum hominum iam pridem omnes perreptatae sunt.

Igitur de multo maiori re modo nobis dispiciendum est. Illae sunt Miraculosae Nauigationes Hispanorum, ante annos fere centum inchoatae, postmodum, ut omnibus fere in rebus fieri solet, ad hanc usque aetatem continuatae, excultae, perfectae, sicut nulla fere res, nulla etiam ars, intra initium suum stetit. Audax profecto hominum genus, Hispani, qui, quod fieri non posse, multorum sermone audierant, id tamen primitentare non dubitauerunt, audaces praecipue unius nauis uestro-

uectores, qui uniuersum illum rotundum mundi globum, quam longe lateque patet (qua de re mox pluribus agemus) penitus circumire non timuerunt. Quam historiam, quia, iucundissimam eius apud animos omnium reuocationem fore, scio, paullo altius ordiar. Haec igitur prima Nouarum Indiarum inuentarum origo est.

Naui quaedam, in Oceano Atlantico, nescio, quo, cursum instituens, ui tempestatis oborta, a uento subsolano, grauissime furente, ad Terram Ignotam, nec ullis cognitam Cosmographiae libris, uolenter reiecta est. Gubernator eius naui, cum tribus aut quatuor sociis, fame et penuria fractis, uix tandem ad Insulam Maderam, in mari Lusitanico sitam, nauem appellere potuit. Habitabat id temporis in illa Insula Christophorus Colonus, quem male quidam Columbum nominant. Is, non magnae fortunae, sed acris ingenii, uir, doctus Latine mediocriter, sed Cosmographus solertissimus, ex agro Ligustico (nam Ligur erat) in Lusitaniam ueniens, uxorem ex Insula Madera duxerat. Apud hunc naufragus ille gubernator naui solus (nam socii in ipso statim porta obierant) hospitio receptus est. Sed, cum, et sibi mortem ingruere, sentiret, Scripturas quasdam Cosmographicas, ac totam mortiferi illius itineris rationem, et In-

et Incognitarum Terrarum , ad quas reiectus fuerat , delineationem , Colono in manus tradidit , et , quam hactenus celauerat , rem , metu mortis , omnem aperuit . Quo facto statim animam efflauit . Colonus igitur , iam alta spirans , animum serio erigere coepit ad ea , quae diu ante animo uoluerat , ut scilicet quaereret diuitem Marci Poli Cipangum , atque Antipodum terram . Nam , id ut facere in animum induceret , adductus erat locis quibusdam Homeri , Platonis , Aristotelis , Cratetis , apud Strabonem , ipsius etiam Strabonis , Plinii , Virgilii , Senecae , et ceterorum , ex quorum diuersis testimoniis collegerat et didicerat homo sagacissimus , esse adhuc Terras et Insulas , sui temporis hominibus Incognitas , ideoque ea , quae aliis plerisque uana uidebantur , non solum credidit , sed experiri statuit . Sane res talis est , quae unicuique nostrum , non plane hebeti et stupido satisfacere potuisset ad credendum id , quod homo fortunatissimus uerum esse uidit , et ad statuendum omnino , nouum illum orbem ueteribus quoque non prorsus incognitum fuisse . Estque profecto quaestio haec plena iucunditatis et delectationis , quam a Colono apud se plane solutam et affirmatam esse , existimo , antequam opus tam arduum aggressus est . Etsi enim appellatio ipsa noui orbis praese fert , antiquos de tot insulis il-

lis regionibusque, intra centum annos propemodum detectis, nihil aut perparum sciuisse, praesertim, cum in plerisque ueterum commentariis altum de iis existimetur esse silentium, tamen homo cordatus animaduertit, non nullius esse momenti, tot Philosophorum, Poetarum, Geographorum, Grammaticorumque, addo etiam, Sacrarum Literarum, quae ipse intelligere sibi uisus est, testimonia, ideoque, Navigationes illas ueteres, quas sine dubio fuisse, statuit, in usum reuocare posse, minime dubitauit. Sed uideamus illos, quos modo nominauimus, autores ueteres, ut et Coloni institutum eo magis approbemus, et euentum successumque, qui profecto tandem felix secutus est, eo minus admiremur. Ut igitur a Sacris Literis incipiamus, in libri de Regibus tertii capite nono mentionem fieri, nouimus, Insulae Ophir, ex qua classis Salomonis et Hiram quadringenta uiginti auri talenta ad Salomonem aduexit. Eo enim in loco sunt, qui nouas Indias intelligant, alii etiam, qui, de Hispaniola, in eodem nouo orbe, uersus Occidentem, inuenta, quam ab Heberi nepote, Ophir, de quo est Genesis decimo, dictam esse, autumant, interpretentur. Nec de his plura nunc addam. Homerus, Odyssaeae α, u. 23, sic scribit,

Ἀδιονας, τοὶ δεξιὰ δειδιόταται, ἑσχατοὶ ἀδορῶν,
*Extremos hominum, Aethiopas, geminisque
 diremptos Partibus.*

Hoc de Africae Aethiopibus uix intelligi posse, sed duplices eos statui debere, et ad Occidentalem illam Insulam ab Homero respectum esse, ex iis, quae sequentur, apparebit. Et Strabo, Libro primo, de sententia Cratetis hanc ipse affert explicationem, interprete Xylandro. *Sicut ergo a nobis si dicuntur Aethiopes, qui, uersus meridiem siti, totius habitatae terrae in extremo, ad Oceanum accolunt, ita putant, etiam trans Oceanum intelligendos esse alios quosdam Aethiopes, reliquorum extremos, qui in altera temperata zona ipsi quoque ad Oceanum habitent. Eos ergo geminos esse, et bifariam diuisos. Haec Strabo. Praecipue autem locus Platonis, in Timaeo, Colonum, primum illum Occidentalium Indiarum inuestigatorem et inuentorem, animauit, ut credibile est, ubi introducit Socrates, cum Atheniensibus loquens, in haec uerba. Traditur uestra ciuitas resistisse olim innumeris hostium copiis, quae, eo Atlantico mari profectae, prope iam cunctam Europam Asiamque obsederant. Tunc enim erat fretum illud Columnarum Herculis navigabile, habens, in ore et quasi uestibulo eius, Insulam, Libya simul et Asia maiorem, per quam ad alias proximas Insulas patebat aditus, atque ex illis ad omnem continentem, e conspectu iacentem, uero mari uicinam. Pelagus illud uerum mare, terra quoque illa uere erat continens. Verum post haec, ingenti terrae motu, iugique unius diei et no-*

His illuione, factum est, ut terra debiscens omnes illos uestros bellicosos homines absorberet, et Atlantis Insula sub uasto gurgite mergeretur. Quam ob causam innauigabile pelagus illud, propter absorptae Insulae limum, relictum fuit. Haecenus Plato. Quae certo omnia ita conueniunt descriptioni omnis terrae, postea ab Hispanis inuentae, ut, si, tanto spatio mare Atlanticum, quantum magnae illius Insulae fuisse dicitur, contineri, statuamus, ouum ouo non sit futurum similius: Idem autem propemodum in Critia scribit, quem locum prudens omitto. Aristoteles, in libello, de mirandis in natura auditis, etiam habet ea, quae non fordere, in hac liberali consideratione, debeant homini erudito. Trans Herculis Columnas, inquit, ut interpretatus est Pircamerus, in mari, quod Atlanticum dicitur, inuentam quandam Insulam a Carthaginensium mercatoribus olim fuisse, perhibent, a nullis id temporis habitatam, praeterquam a feris, et propterea syluestrem admodum et multis refertam arboribus, alioqui fluminibus plurimis, ad nauigandum aptissimis, plenam, ac incredibili quadam omnium rerum nascentium ubertate propuentem, sed remotam a continenti plurimum dierum nauigatione, ad quam cum nonnulli Carthaginensium mercatores forte accessissent, caprique eius loci fertilitate ac aeris clementia, ibi sedem fixissent, commotos ob id Carthaginenses, serunt, consilio publico decreuisse, morte indicta, ne quis

quis posthac illuc nauigare auderet, et, qui iam erant, inuisse statim, interfici, ne ipsius Insulae fama perueniret ad alias nationes, submitterenturque alicui fortiori imperio, ac fieret quasi oppugnaculum quoddam aduersus eorum libertatem. Et, libro eodem, ut idem interpretatus est. Aiuunt, etiam Phoenices illos, qui ultima Gadium incolunt, cum trans Herculis columnas per dies quatuor enauigassent, uento maximo, Apeliote, tracti, applicuisse tandem ad loca quaedam, inculta prorsus ac deserta, uerum plena multa illuue et continuo paene conquassata motu. Ea, ubi cessauerit aësus, facile conspici posse, sed, redeunte, immergi, in quibus inuenisse eos, affirmant, incredibilem quandam thynnorum multitudinem, magnitudine quidem et amplitudine admirabili. Tum uero ab his laqueos parari coepisse, quibus caperentur, captos autem membratim concidere, atque eorum carnes deficcare paulatim consueuisse, ac demum in uasis reconditos deferre Carthaginem. Verum a Carthaginensibus non exportari ulterius e ciuitate, sed potius eos domi consumere, ob eam, quam ferunt huiusmodi pisces in conuiujs dignitatem et excellentiam de se praestare.

Virgilius etiam, libro sexto Aeneidos, canit,

*Iacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque uias, ubi coelifer Atlas
atque humero torquet, stellis ardentibus aptum.*

Quod Seruius quidem de Aethiopia Maurorum, apud quos Atlas mons est, interpretatur, uerum haud dubie de Atlantica Platonis Insula intelligendum est, quam, poeta doctissimus, extra zodiacum, tam uersus Septentrionem, quam uersus meridiem, se extendere, scribit. Quare, cum quoque temporis Americam notam fuisse, opinari cur non liceat? Memoratu dignum est praeterea Plinii testimonium, qui, libro secundo, capite LXVII, scribit, *A Gadibus Columnisque Herculis, Hispaniae et Galliarum circuitu, suo tempore totum navigatum fuisse Occidentem, Septentrionalem uero Occatum, maiore ex parte, navigatum esse auspiciis D. Augusti.* Insuper ait, *Nepotem Cornelium autorem esse, Eudoxum quendam, sua aetate, cum Ptolemaeum Lathyrum fugeret, Arabico sinu egressum, Gades usque peruectum, multoque anse eum, Coelium Antipatrum uidisse, qui nauigauerit ex Hispania in Aethiopiam, commercii gratia. Eundem Nepotem de Septentrionali circuitu tradere, ait, Q. Metello Celeri, C. Afranii in consulatu collegae, sed tum Galliae proconsuli, Indos a Rege Sueuorum dono datos, qui, ex India, commercii gratia, nauigantes sempestatibus essent in Germaniam abrepti. Haec ille. Quid sentiendum porro de Strabonis narratione, quam habet libro secundo, de Menelai, regis Graecorum, peregrinatione, ex Aristonico, Grammatico, qui dicat, eum circumnauigasse per Gades usque ad Indiam,*

tempus

tempus etiam peregrinationi accommodans, quod octavo nimirum Anno redierit? Et, de commemoratione alia, quae est eodem libro, de Eudoxi περιπλω, quam, quia satis longa est, hic omitto. Ad hos denique omnes accedit Seneca, qui, tanquam uates, sic enuntiat.

*Venient annis secula seris,
Quibus Oceanus uincula rerum
Laxet, nouosque Typhis deteget orbes,
Atque ingens pateat tellus,
Nec sit terris ultima Thyle.*

Haec igitur, et alia, sine dubio extimularunt Colonum, ut, id, quod alii stultitiam reputarent, ipse sapiens, summae sibi felicitati perpetuaeque saluti fore, non dubitaret. E uestigio igitur fratrem, Bartholomaeum Colonum, ad Serenissimum Angliae regem, Henricum VII, expedit, cuius regnum tunc pacatum fuit et opulentum, ut exponeret, si sibi naues et facultates a rege darentur, effecturum se, ut, nouis et auriferis regionibus repertis, Angliae regnum omnium regnorum totius Europae longe florentissimum redderetur. Sed passus hic repulsam, idem apud Lusitanum, Alphonsum V, tentauit. At uero, quia hic meridionales Africae oras bello lacebatur, et iam uiam sternere Calecutum uersus incipiebat, miser Colonus tantum hic, quantum ibi, impetrabat. Sed nec tum tamen animum sic abiicit. Tertio enim rem ten-

tans, apud Ferdinandum Catholicum, id temporis bello Granatensi impeditum, omnes machinas, ut uoti compos fieret, ad-mouens, tandem, superatis Mauris ac to-ta expulsis Hispania, retulit, quod uolu-it. Dantur a Rege XVI millia Ducatorum, datur et classis, sed trium duntaxat nauium, dantur in comitatum homines XII. Hic tam paruus apparatus tantas tamque inau-ditas postea res, quantae hodie de Indiis constant, excitauit. Colonus fortissimus, cum exigua sua classe mari se exponens ua-stissimo, ex Hispaniis soluit, Anno, a Chri-sto nato, millesimo quadringentesimo se-cundo et nonagesimo, tertio nonas Augu-sti. Progresso iter aliquot dierum, tanta graminis, per mare fluitantis, ubertas classi occurrit, et tandem totam circumsepfit, ut tanquam in pratis herba uirentibus na-uigare uiderentur. Quare tum etiam ma-gis, quae de submersa Atlantica apud Pla-tonem legerat, uera esse, ut credidit, sic timuit. Nihilominus, gramineum tandem mare superans, post multa pericula, post duram toleratam famem, uix tandem cum suis in Incognitas, quas quaerebat regio-nes, nuda, barbara et inermi, gente habi-tatas, sed auri diuites, appulsus est. Cum ex indigenis rogaret de sua, quam semper somniauerat, Cipango, indicauerunt, re-gionem uocatam Cibao. Ecce, iterum allusio nominis, quod casu contigerat, id
ut

ut ratione euenisse putaret, effecit. Statim naues duas (nam tertia, 'illisa scopulis, perierat) auro, gemmis, decem Indis homibus, Gallipauis multis, psittacis, uarii coloris, non paucis, et aliis multis barbaris rebus, onerat, ac tandem triumphabundus ad Regem, tertio Nonas Apriles, anno sequenti, reuertitur. Rex laetari, et magno honore Colonum afficere, adeo, ut mox eum, *Admirantis*, quem *Ammiralium*, nunc uocant, Indiarum honorificentissimo titulo decoratum, diplomate expedito, duodecima parte omnis emolumenti, quod ex profectione Indorumque subactione redundaret, donauerit, et cum classe maiori eo, unde redierat, e uestigio remiserit.

Haec principia, haec prima fuerunt initia, tantarum tamque mirabilium rerum, quae postea in Nouis Indiis, quae America uulgo nominantur, gestae esse commemoratione cognoscuntur, et in historiis Hispanicis exactius, quam alibi, leguntur. Haec noua Noui Mundi, uel potius Nouae Mundi Partis, inuestigatio extitit, quae adeo multos hactenus latuit, Hispanicae linguae ignoratione (quandoquidem nulla alia Lingua extare dicuntur.) ut inter primos Hugo Blotius, uir clarissimus, et Caesareus bibliothecarius, se operae pretium facturum, putaret, si ex ueteris, Hispanice conscriptis, historiis haec pauca, ad utilitatem legentium, depromeret. Tribui-

eur autem Colono praecipue Cubae, Hispaniolae, Cubaguae, Insularum, item Verraguae et Vrabae, Indicae continentis Prouinciarum, detectio.

Crescentibus deinceps magis atque magis apud novos Indos Hispanorum rebus, alii atque alii, spe diuitiarum excitati, aliquid noui aggredi meditati sunt. Itaque factum est, ut, postquam Americus Vesputius ille, post Colonom Genuensem, Anno m cccc xcvi, iussu Regis Castiliae, eam ipsam regionem ingressus esset, eique nomen Americae dedisset, deinceps etiam aliae Navigationes institutae sint. Nam sub Carolo V secuti sunt, Ferdinandus Cortesius, qui nouam Hispaniam et Mexicanum Montezumae regnum aperuit, et Vascus Nunez Valboa mare Australe, quod uulgo Mare Del Sur dicitur, ingressus est, sicut et Franciscus Pizarrus Peruanum ingens illud Attabalibae regnum reperit, Magellanus Magellanicum, a suo nomine dictum, Fretum, Pontius Legionensis Floridam Prouinciam, Fernandes Iucatanam, detexerunt. Verum inprimis memorabile et insigne fuit inceptum, quod Ferdinandus Magellanus, natione Lusitanus, cui Fretum Magellanicum, una navigatione, simul et immortalem gloriam, et mortem, attulit, tentare ausus est. Is enim, Hispanici Regis munificentia excitus, a suo Rege deficiens, ad hunc confugit, persuadens illi,

si

si sibi nummi et naues darentur, non antea navigatione se destitutum, quam aut moreretur, aut Fretum aliquod inueniret, quae Lusitani nauigarent (nam hi nauigando ad Orientem tendunt) ad Insulas Moluccas, omnibus aromatum speciebus foetas, diuersissimo itinere, aditum patefaceret. Rex et huic quinque nauium classem, commeatum, armamenta, CCXIII homines in comitatum, suppeditat. Anno itaque a Christo MDIX, mari uasto se committit, ad tractum Peruanum cursum dirigens, inde meridiem uersus littora legens, post acerbam quaedam clades, missa una nauis, et altera, inuito eo, ad Hispaniam redeunte, fretum, quod cogitaret, inuenit quidem, sed, inde ad Moluccas, occasum uersus, deflectens, in diuersas, nunquam uisas, lectas, aut auditas, Insulas incidit, quibus dum bellum inferre conatur, confossus miser et dilaceratus a Barbaris, multis quoque ex suis desideratis, gloria, quae tanto facinori debebatur, frui non potuit. Nihilo tamen segnus, qui suberant, focii iter institutum persequuntur, et ad populos, aduersis nobis uestigiis oppositos, indeque ad Moluccas, perueniunt, atque hinc non, quae uenerant, eadem domum redeunt, sed, ut periodum absoluerent cogitatum, et uniuersum circuirent mundum, recta uis profusum procurrunt. Qua navigatione, secundum solem in occasum directa, obseruatum etiam

etiam fuit , ipsos senas horas annuas , quae nobis , quarto quoque anno , Februarium mensem uno die longiorem faciunt , anteuertisse , quartique anni initio diem prope unum ex nautica ephemeride exemptum ipsi ita fuisse , ut , cum , VII Iduum Septembres , portum Hispalensem inueherentur , VIII diem Iduum , ex accuratissima annotatione , numerarint , quo miraculo non Oceani tantum , sed et solis , dimensionibus uim factam , confiteri nos , necesse est . Ita tamen sibimetipsis nauigauerunt ii infeliciter , ut ex quinque nauibus una duntaxat , cui Victoria nomen erat , et , ex hominibus CCXXIII , unus tantum Ioannes a Cano , eiusdem nauis gubernator , cum XIX uestoribus , post enauigata duodecies mille miliaria nostratia , post sexies sine laesione transmissam torridam zonam , quam ueteres philosophi et poetae nemini , propter aestum , tolerabilem finxerunt , triennali menstruoque cursu confecto , cum maxima Regis Hispanici , atque etiam Lusitanici , uoluptate redierint .

Anne igitur philosophiae contemplatiuae experientia rerum praeponderat ? Nonne hic ueterum Philosophorum mundi situm falsissimum manifeste deprehendimus ? Quod et de aliis , de quibus nunc tacemus , iudicare cur non liceat ? Noti sunt errores ueterum . Metrodorus , Heraclides , et quidam Philo-
phi

phi Pythagorici, asseuerauerunt, mundos, i. e. terrae et aquae globos, esse plurimos. Idem cum Alexander ille Magnus, Anaxarchura, Philosophum, disputantem audiisset, et serio, quod dicebatur, credidisset, effusus rex in lacrymas, se nondum unius mundi dominum esse, deplorauit. Extiterunt quidam, qui septem, quidam qui decies nouies, mille mundos numerarent. Quin, ita quosdam delirasse, constat, apud Seculum prius, ut, singulas stellas, singulos mundos esse, sibi persuasum haberent, immo, illud nubilosum, quod in luna cernitur, plenum esse hominibus, animalibus, arboribus, montibus et rupibus, existimarent. Quid, quaeso, magis ridiculum istis hominibus inueniri possit? Quid illos, quaeso, mouit, ut, cum nullam paene partem eius mundi, in quo constituti erant, exploratam haberent, mundos, somniant, esse ibi, quo, non dicam corpore, sed ne ingenio quidem, peruenire potuerunt? Rursum alii, qui uno mundo contenti fuerunt, horum quidam, duas partes habitabiles et habitatas esse, defenderunt, in quibus fuit Thales et Aristoteles, et, post illos fere omnes, qui de mundi habitatione iudicauerunt. Nam, cum totum globum mundi in quinque zonas diuiderent, et extremas duas, propter frigus, mediam, i. e. torridam, propter aestum, neque habitam, neque habitabilem, esse statuerent,

rent, efficiebatur, ut duarum residuarum altera in nostro hemisphaerio, altera in contrario, habitabilis superesset. Admiserunt ergo, etiam ultra torridam zonam habitare homines posse. At unde id scire potuerunt, si neque hinc illuc, neque illinc huc, ulla esse transmigratio, propter aestum, poterat? Sequebatur et alterum absurdum, quod illi, qui ultra torridam zonam habitarent, ab aliis parentibus, quam a nostris primis, Adamo et Eva, originem trahere deberent. Sed horum omnium falsam assertionem refutavit rerum omnium magistra, experientia. Et, quantum ad partem quidem mundi septentrionalem attinet, Galeotus Narniensis, Saxo Grammaticus, Olaus Magnus, et quidam alii, scriptis libellis testatum reliquerunt, Hyperboreos, et illos, qui in Scandinavia, et aliis regionibus, longe ad Septentrionem reiectis, habitant, non tantum frigus tolerare posse, sed etiam et commode vivere, et ad iustam senectutem pervenire. Optima sane Insula, et saluberrima totius Septentrionis, collocata est proxime Polum arcticum, ultra Islandiam et Gronlandiam. Et Martinus Forbissenus, Anglus, navigatione sua in regiones Occidentis et Septentrionis, A. MDLXXVI instituta et perfecta, satis ostendit, in illis polo arctico maxime vicinis, regionibus multos homines, etsi barbaros, habitare, qui sint magno

gno corpore et bona proportione, etsi frigus fere perpetuum habeant. Nec reticuit ille, qui Forbifferi navigationem descripsit, hoc, quod iam dictum est, a uero ueteres aberrasse, qui duas zonas, circulis polaribus inclusas, ob ingens et perpetuum frigus, coelique asperrimam intemperiem, inhabitabiles esse, crediderunt. Dicit enim, se cum sociis, Dei beneficio, plane diuersum expertum esse et asseuerare posse, non solum scilicet habitabiles, sed etiam habitatas, esse ab hominibus, licet syluestribus, stupidis, indomitis, et quasi rationis usu carentibus. Et, quanquam illae Septentrionales regiones perpetua niue et glacie obductae sint, solisque radiis, ob debilitatem, et quia a terra non refringuntur, illas dissoluere non possint, nihilominus tamen Deum Opt. Maximum, qui hominibus terram inhabitandam dedit, sua infinita et admiranda bonitate et potentia eas quoque regiones, quae falso, habitari non posse, credebantur, ita temperasse, ut homines ibi durare possint. Haec ex illius Historia. Quicquid uero torridae zonae subiectum, et ad austrum detrusum est, id totum Hispanorum navigatione ita ubique, ut iam diximus, detectum est, ut uix ulla uel minima insula nondum explorata remanserit. Et haec quidem, de ueterum traditis, cotollarii quasi loco, ad nostram, de nouis et apud prisecos inauditis Navigationibus, narrationem adiacere uisum fuit. Repeterem nunc eadem ratione aliquid ex
 histo.

historia Navigationum Cortesi, Valboae, Pizarri, Pontii, et aliorum, nisi breuitati studerem.

Itaque, Navigationibus in praesentia omissis; eorundem loco; breuissimis uerbis studiosam Germaniae Iuuentutem exhortor ad Linguarum Peregrinarum studium, omnium maxime laudabile, et, ut ostensum est, miraculosum etiam, quod sine dubio Deus, ex ingenti amore eo, quo genus humanum, et in primis Ecclesiam suam, prosequitur, his postremis temporibus excitauit. Sed hoc non agam solus. Asciscam enim mihi socium Oratorem, diuinum illum et apud Germanos Clarissimum Periclem, Reuerendum D. Lutherum, qui, in libro de Constituendis Scholis, Linguarum laudes egregie complexus, praeclare differit, quare hominum, et Ecclesiae in primis, hostis acerrimus, Genius ille maris, Linguas emergentes saepius studuerit prohibere, et, cum Linguarum in lucem reuocatio et cognitio ingratiſſimus fuerit diabolo hospes, cum optime sciret, Euangelium peritis Linguarum esse reuelandum Ecclesiae, et earum adminiculo apud eandem retinendum, quemadmodum et tempore discipulorum Christi Linguae Graecae ac Latinae longe lateque sparsae per orbem fuerint, et, ante nostra tempora, Graecis a Turcis occupata, a profugis Linguae Graecae sparsae doceri in orbem coe-

pe-

perit, ideoque, quam chara nobis est uerbi et ueritatis reuelatio, quam charum Euangelium, tam charum esse nobis debere Linguarum studium, tam charam earundem conseruationem, cum certissimum sit, lucem in doctrina coelesti commode nunquam retenturos esse nos, nisi fiat earundem auxilio. Quaeque alia ille, eodem in libro, pulcherrime, ad commendationem Linguarum aduocat, quod, uidelicet earundem amissionem semper in Ecclesia tenebrae secutae sint, quod, Patrum etiam sanctissimorum aetatibus, errores ex Linguarum imperitia inuecti, et, quales ipsorum expositiones sint sine Linguis, Scripturae S. interpretibus. Denique de Concionatorum, et Scripturae doctorum interpretum, deque aliorum Theologorum *ὀυλατήριον*, et Linguarum cognitionem habentium, maxima differentia. Cui dissertationi, eruditissimae simul et piissimae, hoc etiam encomium inserit. *Vaginarum, inquit, uice sunt Linguae, in quibus gladius ille Spiritus, nempe Verbum Dei, uenetur insertus. Arcae sunt, seu thesae repositoriae, quae repositum hoc nobile κειμήλιον offerunt. Potula sunt, quibus salubrem hanc potionem exceptam circumferimus. Cellae sunt promptuariarum, ex quibus promptus concionator haec Evangelica cibaria deponit. Atque, ut sacrae literae ipsae indicant, cophini sunt, in quibus panes, adeoque reliquiarum fragmenta,*

ne pereant, custodiantur. Quod si nobis, exclamat Vir magnus et fidelis monitor, supine stertentibus (sors dicta refutet) per incuriam elabentur. Linguae, timendum est omnino, ne non tantum Evangelium amittamus, verum ad eas rursus miseras delabamur, ut nec Latinum sermonem, aut etiam vernaculum, quod maioribus nostris evenit, recte sonare et scribere callamus. Hunc igitur Patrem et Doctorem uestrum si audieris, et Deo grati acceptique militiam uestram rite militabitis, et, pro uestra quisque parte, et cum bona conscientia, nec non uestro honore et emolumento, non committatis, ut in Republica, tam Politica, quam Christiana, administrationem obeant boues Cyprii, aut porci Acarnanii, h. e., homines brutissimi, sed semper optimi doctissimi, et tantum liberalissime educati, functionibus publicis adhiberi queant, eorumque coepta felicem successum fortiantur. Quare uos obsecro, quantum potestis, ad uerum eruditionis decus, quod in Linguarum studio reconditum est, clamoribus, nescio quorum, neglectis, summo nisu, rectoque cursu, uelis equisque, contendite, laborem tantilli temporis, quo hic haerendum erit, magno animo contemnite, spernite, floccifacite, uobis in longum consulite, ita uos comparate, ut non solum ex pusillo, qui uobis exantlandus erit, labore, perpetuo in reliquam aetatem felices

felices gaudeatis; potius et honorati sitis; quam, pro breui et caduca uoluptate, quam plerique in turpi socordia et otio positam esse falso existimant, semper miseri, a doctis merito irrideamini, contemnamini, in honore nullo habeamini, et quasi in perpetuo luctu uersari cogamini. sed etiam, quod caput est, Ecclesiae Christi et rebus publicis de uobismet ipsis et aliis gratulari et gaudere possitis. Hanc uiam si feruenti animo affectaueritis, secundabit Deus O. M. bonos conatus uestros, ingenium augebit, uires addet, uoluntatem excitabit, ac omnia dehinc uobis bona in hoc mundo larga manu suppeditabit, et ad supremum, post fragile hoc et caducum huius depositum, corpusculum, animus uester, quo nihil uobis in uita praestantius a Deo datum est, ad supremum illud beatorum domicilium, ex hoc ergastulo, sursum euolabit, ubi, perpetua felix beatitudine, in sempiterna secula laetetur, exultet, gaudeat, et, in conspectu diuini illius Numinis, sese oblectet, recreet, ac uoluptatem ueram, stabilem ac constantem, et talem, quae omnem ingenii humani captum superet, sine fine, nec interruptam, quod uos Deus inuet, experiatur et sentiat.

Scriptis haec Petrus Albinus Vitembergae Dresdani demigraturus, circa A. 1713 xc.

HVGONIS GROTII
 DE
 ORIGINE
 GENTIVM
 AMERICANARVM
 DISSERTATIO

V Ideo, ueteres, tum, qui terras, tum, qui res gestas, descriperunt, multum in eo posuisse operae, ut, aut ex monumentis antiquis, si possent, aut, si ea desissent, ex fama, aut coniecturis, nos docerent, unde uenissent, qui terras quasque primi habitauerant. Sic Dionysius Halicarnassensis, multum praetergressus omnium Italorum diligentiam, ex Graecorum monumentis, ad quae agcessit et alia argumenta, nobis ostendit, unde origo fuerit populis, qui primi Italiam tenuere. Sic Sallustius, qui Africam, Tacitus, qui Britanniam, primi infederint, inquirunt diligenter, ille ex ueteri fama, hic partim ex fama, partim ex coniecturis, quas supeditabat lingua, habitus, mores. Apud Strabonem, magni iudicii uirum, multae sunt inquisitiones eius generis. Haec cum
 ita

ita se habeant, miratus sum saepe, quod, ex tot nostri seculi uiris eruditis, nemo solícite inquisuerit, unde ortum haberint gentes illae, quae, ante Hispanorum aduentum, illas habitauerunt terras, quas, incognitas ueteribus, alii, a Vespucio, Americam, alii, Occidentalem Indiam, appellamus, eam dico, quae ab Oceano Septentrionali ad Magellanicas maris fauces, longis ac plurimum latis etiam spatiis, inter mare Atlanticum, et alterum, quod Sinas alluit, et aliis Pacificum, aliis del Zur, dicitur, extendit. Ego, cum legissem non nulla scripta Hispanorum, Gallorum, Britannorum, Batavorum, qui in illis fuere oris, putavi, me rem facturum non inutilem, si, quae mihi maxime uidentur probabilia, communicarem, et nunc uiuentibus, et posteris, eo animo, ut alios, quibus per peregrinationes in eo orbe, aut etiam per libros, qui in meas manus non uenerunt, maior earum rerum contigit notitia, excitarem ad nostra haec aut confirmanda, aut bonis rationibus refellenda. Video, multos esse, qui, omnes eos populos uenisse, putent, ex Scythia, quam Tartariam magnam nunc uocamus. Argumentum habent, quod ad Anianum, siue fretum, siue sinum (utrum enim sit, nondum constat) non magnum sit inter Tartariam Americamque interuallum. Quod si is finis sit, terras esse contiguas,

ac ob id facilem transitum, si sit fretum, id, quo magis intratur, angustius fieri, ac proinde fauces illas, quales sunt Helleponti, aut, in Thracia, Bospori, nullo negotio nauibus potuisse transmitti. Haec, ita summa, ut ita loquar, in cute spectata, speciem ueri habent, introspecta tamen mihi se non persuadent. Constat enim, in omni America, ante Hispanorum aduentum, equos fuisse nullos. Scythia autem plena semper equis, et Scythae fere omnes equis uehi, et in equis ingentia spatia terrarum conficere, etiam sanguine equorum, si alia deessent, in potum uerso, soliti. Quod si cohaerent America et Tartaria, equi, aut fugitiui, aut libere pascentes, ex Tartaria in Americam olim penetrassent, sicut, equos ex terris Americae aliis in alias, magnis diuisas montibus, penetrasse, constat, Hispanorum relatu, e quo Hispani equos illuc aduexere. Si uero perpetuum intercedit fretum, quod magis credo, Tartari nunquam nauigatores fuere, et, si fuissent, non magis transiissent sine equis, aut diu esse sine equis, uoluissent, quam Galli ueteres, qui in Britanniam, aut Hispani, qui in Americam, transsere. Ego, ut dicam, quae mihi maxime se probant, primum dispescam Americae populos, in eos, qui sunt ad Septentrionem, cis Isthmum, qui est inter Nomen Dei et Panamam, et eos, qui ultra id fretum

ad Austriam se porrigunt, donec in Megelanicum desinant. Omnes ferme populos, qui cis isthmum sunt Panamæ, ex Noruagia, ortos, arbitror, his ductus rationibus. Islandiam a Noruagis habitatam, euincunt utriusque populi monumenta, traditio, lingua, et imperium antiquissimum Noruagiæ in Islandos. Creduntur autem eo migrasse multi, ante annum Christi millesimum, cum adhuc Paganæ religionis esset Noruagia. Ab Islandia uentum est in Gronlandiam, quam alii insulam putant, alii partem continentis Americanæ. Ibi quoque eadem lingua, idem iam olim imperium. Vicina ei Frislandia de qua extat commentarius Zenonum Venetorum, nisi ea forte pars est aut Islandiæ, aut Gronlandiæ. Huic proxima Estotilandia, pars continentis Americanæ, quam ex Frislandia piscatores adibant, duobus seculis, priusquam Hispani in nouum orbem uenere. Haec omnia nomina eandem habent desinentiam, ex uoce regionem denotante lingua Germanorum, quorum olim pars Noruagi, ut ex Plinio, Tacito, immo, et ex ipsa lingua, et moribus, apparet. Sic et, quæ inde ad fretum Panamæ extenduntur, terræ similis soni habent nomina, Cimatlan, Coatlan, Guecoflan, Artlan, Quaxutatlan, Zerotan, Icatlan, Tapatlan, Cinacatlan, Cinantan, Tenuchitlan, Comillan, Met-

xitlan, Guatitlan, Necotitlan, Mexitlan, Tuuoxcaltitlan, Ocotlan, Atilan, Currecatalan, quibus omnibus in uocibus, Hispanorum pronuntiatio ultimam literam extriuit. Mexicani et eorum uicini, cum eo primum uenere Hispani, dixerunt, se non esse indigenas, sed, uenisse a Septentrione maiores suos. Quam autem primum, post Estotilandiam, in sedere regionem, ea nunc quoque originis suae nomen retinet. Dicitur enim Norimbega, quod nihil aliud est, quam Noruega, sono ab Hispanis emollito, qui pro VV solent B ponere. Et, uersus Californiam, est populus, linguae eiusdem et institutorum cum Mexicano, et populus Aluardi, id est Langobardi. Hispani, Mexicam nouam uocant, cum uere haec sit uetus Mexica, unde in alteram uentum est, ante annos, ut aiunt, octingentos. Accedunt uocabula, quae multa apud illos fuisse Germanica, id est, Noruagica, indicio sunt pauca, quae casu ad nostram notitiam peruenerunt. Teut, Deus Germaniae, sic et illis populis, Bagod, Deus minor, imaginarius, Guaira, VVaiert, stibellum, Top-hos, capitis tegmen, Lame, Lam, agnus. Loca, ad sita torrentibus, desinunt in Peke, pro Beke, quod est torrens Germanis. Plura haud dubie reperient, qui in ista uolent inquirere. Non leue originis indicium etiam in moribus. Iudices apud illos

XII, ut olim apud Gothos, aliasque gentes Scandiae, et apud uicinos eorum, Saxones, unde in Angliam id uenit. Vita olim in uenatu, ut de maioribus suis nar-
rabant Mexicani. Temporis putatio per nos, infantium recens natorum in a-
mne ablutio, aese fides, ad libertatis uf-
que iacturam, quae omnia moris esse Ger-
maniae, ex Tacito et Germanis scriptori-
bus cognoscas. Viris singulis uxores sin-
gulae, exceptis nobilium paucis, quod Ger-
manis tribuit idem Tacitus, ita, ut eoa
hac nota ab aliis Barbaris discernat, cum,
contra, apud Scythas, ab omni aetate, u-
sitatum fuerit, plures uni uiro esse uxores.
Mulieribus, ut Germanicis, unas tantum
nuptiae. Tribunalia in Florida, ad experi-
mentum altissimi aestus, qualia Cauchos ha-
buisse, Plinius nos docet. Animas corpo-
ribus superstites, ab omni aeuo, credidere,
quod Lucanus tribuit populis, quos Arctos
despicit. Corpore infames grauitur puniti.
Habet et hoc apud Tacitum de Germa-
nis, quo et illud Quintiliani pertinet, in
Oratione, pro Mariano, milite, qui Tri-
bunum occiderat, *Sanctius apud Oceanum
uincitur*. Sellae singulis et mensae ad focum,
sororum filii heredes, corpora ferme nu-
da, nisi, qua pudor id uetat, aliaeque fimi-
lia, quae Tacitus de Germanis prodidit,
in iis autem, de quibus agimus, locis re-
perta.

perta, constat, Germanicam, non Scythicam, ostendunt originem. Etiam dicitur inactare homines, Germanicum, unde, feritate longius procedente, natus, apud quosdam populos, mos etiam humana carne uescendi. Quod autem modo dixi, hos citra Isthmum Panamae populos fere omnes Noruagicae esse originis, non dixi frustra. Nam, qui Iucatanem et uicina quaedam loca tenent, eos alterius esse originis, docet reperta apud eos circumcisio. Multi ob id, quod, ex mari seruatos se, dicerent, Hebraeos esse, credidere, ex decem scilicet tribubus in Mediam selectos, inde per Tartariam progressos, in Americam, longo illo itinere, de quo agi, putant, quarto libro, qui Esdrae dicitur. Haec quanquam ita coniecta, multos possunt in assensum trahere, mihi tamen se non probant. Scriptor Esdrae quarti plenus est inanissimis somniorum, ideoque ab omnibus reiectus. Nec America est, quo ille Hebraeos iuisse dicit, ipsa non minus illo tempore, quam omnibus aliis, incognita, sed regnum, quod sibi confinxere Iudaei, ultra amnem, ut aiunt, Sabbaticum, ad portas Caspiae, unde nullus unquam nuntius, nullae literae, peruenire, quod nec uidit quisquam, nec uidebit unquam, in hoc tantum repertum a Rabbiniis rugientibus, ne promissa, de mansuro semper regno in semine Dauidis,

uidis, in IESV CHRISTO, impleta, et adhuc impleri credantur. Neque uerum est, in Tartaria fuisse Iudaeos. Et, quae quidam reperisse ibi se putant tribuum Hebraicarum nomina, uetera sunt Scythica, ut Euthalitae, non Nephtalitae, et sic cetera, quemadmodum uiri eruditi abunde manifestum fecerunt. Iam uero ad Iucatanem et loca uicina quod attinet, qui eo primum uenere, circumcisionem ibi repperam, tradunt, non etiam ceteros Hebraicae legis ritus, nec literarum eam scripturam, quae a multis temporibus penes Hebraeos fuit. Circumcisio autem multo latius patet, patuitque semper, quam Iudaismus. Et quod ortos se dicerent ab hominibus e mari seruatis, non ad mare rubrum, sed ad memoriam uniuersalis diluuii, cuius apud omnes gentes reperiuntur uestigia, recte referas. Vide, quae de ea re diximus, in Annotatis ad Librum I, pro Veritate Religionis Christianae. Rem tetigit Petrus Martyr, cum dixit, non dubitare se, quin ex Aethiopia, Oceano adiacente, nonnulli eo delati sint, quod facile euenire potuit prouectis non nihil ab ora sua piscatoribus, deinde, per uentos illos uehementes, qui recta in Americam ferunt, abreptos. Quale quid euenit nauatae illi, a quo Columbus noui orbis notitiam accepit, et Indis illis, quos delatos ad Suenorum littora, tradit Plini-

us. Circumcidi autem , mos uetus Aethiopum , ut ante alios testatus est Herodorus , cuius rei de causis egimus in dictis iam Annotatis. Nec , qui Aethiopum Christiani facti sunt , ueterem hunc gentis suae morem deseruere , ut Alvarez et alii nos docent. Ab Aethiopibus est pronuntiatio literae , quae ך Hebraeo respondet. Non est autem uetus ista , ex Aethiopia in illas terras deducta colonia , sed ab annis , ut ipsi dicebant , quingentis. Abyssinorum autem , eo tempore , imperium ad Oceanum pertingebat. Et Christianos fuisse , qui illuc uenere , Aethiopas , colligimus ex baptismo , quem ministrabant Iucatenses infantibus , post annum tertium , ut Graeci et Asiatici uocabantque regenerationem , et infantis parentes , ad eum pie celebrandum parabant se precibus , ieiunio , castimonia. Trahit nos eadem celebrata in Iucatane unctio in fronte , peccatorum confessio in morbis , honesta sepultura , et certa , de praemiis poenisque post hanc uitam , persuasio. Neque uero mirum uideri debet , si alia , ad Christianismum pertinentia , lapsu temporum , nullis ibi sacerdotibus , et populo negligente , interciderint , cum idem euenisse uideamus in Dioscoride , Rubri maris insula , quam nunc Sacotoram uocant , ubi de Christianismo , sane uetere , praeter baptismum et signum crucis , nihil reliquum repe-

reperere , qui ibi post Paulum Venerum fuerunt. Lingua autem quod nec plane Aethiopica , nec plane Noruagica est , in illo tractu , a Septentrione ad Isthmum Panamæ , inde euenisse , credo , quod primum permixti fuerint diuersæ originis homines , deinde , quod ex iis pluri mi sine communi imperio uixerint , Cyclopum more , et nunc quoque fit in Florida , et , ante sexcentos annos , in Mexicana , aliisque regionibus , factum est , cui consequens fuit , ut singulæ familiae propria sibi iunxerint uocabula. Venio nunc ad alteram Americae partem , quæ ab Isthmo Panamæ , ad fretum usque Magallanicum , eodem fuisse corporum habitu , moribus ac lingua , quo illi , qui ultra id fretum sedes habent , omnes , qui de eo tractu scripsere , consentiunt. Quare , cisfretanos a transfretanis ortos , credi , par est , eoque magis , quod Peruani semper dixerint , in ea orbis parte homines fuisse sui generis extraneos. Illum autem orbis partem , quæ trans fretum est , et , quæ inde , longo tractu , partim continuis terris , partim modicis fretis intercurrentibus , sub nouæ Guineæ nomine , ad usque Giloli , Iauæ et aliarum Indici Oceani insularum , conspectum se porrigit , australem dictum in Tabulis , non aliunde , quam ab ipsa Iaua , aut Gilolo , habitatores ueteres , accepisse , credibile est. At

Peru-

Peruanorum ingenia multo elegantiora, iustique ac magni imperii capacia, aliam testantur originem, quae, si quid uideo, non aliunde, quam a Sinensibus, paris elegantiae, parisue imperii, gente. Confirmant id, repertae ad oram Pacifici maris, reliquiae nauigiorum Sinensium, ut Hispani tradidere. Nec mirum, si multum nauigatu exercitos Sinenses, in terras uno mari diuisas, aut quaerendi curiositas, aut magnus humani generis propagator casus, pertulerit. Solis cultus apud Peruanos fuit, ante Hispanorum aduentum, idem, ab omni aeuo, praecipuus apud Sinenses. Et, quomodo rex Sinensium filium se dicit Solis, sic et Inchaë Peruani imperii reges se dixere. Scriptura Peruanis, non per literas, sed per rerum notas, idque a summo chartae ad imum, ut in Sinis. Sinesem quoque Mancacapacum fuisse, arbitror, qui, cum esset admirandi uir et ingenii, et animi, ac comperisset, suae gentis homines trans mare bonas obtinere terras, sed nullo communi imperio regi eo se transtulit, dispersos in corpus collegit, principatumque sibi ac posteris suis, ad imperii Sinensis instar, constituit. Quod uero neque prope fretum Indorum Asiaticorum lingua, neque, in Peruano tractu, Sinensis lingua, mansit integra, eius rei causas easdem fuisse, arbitror, quas, de mutatione linguarum

cis Isthmum Panamae, iam modo attuli.
 Haec sunt, quae de Americanarum gen-
 tium origine, partim ex coniectura, col-
 ligere potui, quibus si quis habeat certio-
 ra, fruar lucro permutationis, et
 pro eo lucro reddam gra-
 tias.

*Edita primum fuit haec Dissertatio, A. C. 1743
 16 XLII, in 4. min., sine loco et typographo.*

